

tarum, quæ & ipsa traditur, cum dicendi exempla proponuntur. Et nihil dulcius est quam intueri animo eas res, quæ in philosophia nobis traduntur, de magnitudine coelestium corporum ac terre, de uarijs motibus siderum, quomodo lumina coelestia uarie mixta inter se ac temperata, diuersos effectus pariunt in hac inferiori natura, sicut aliter atq; aliter mixtæ uocës diuersas cantiones efficiunt. Iuuat etiam uidere causas officiorum ciuiliū in natura diuinitus scriptas, & mirabili prudentia a doctis hominibus animaduersas.

Iam utilitas maxime percipitur ex his studijs, sunt enim ut græci dicunt $\omega\gamma\omicron$ $\omicron\delta\tilde{\omega}$ in superioribus artibus, quæ certe dicendi scientiam requirunt. Quid enim promouerit aliquis, si sermonis genus non queat iudicare? Et multa ubiq; sumuntur ex philosophia naturali ac morali, Quorum qui non uident fontes, turpiter interdum hallucinantur.

Et quoniam Reipub. interest bonas artes conseruare omnes sciatis hoc a uobis rempub. petere, ut detis operam ne uestra negligentia artes intercidant, Cum autem maiora beneficia omnes a repub. quam a priuatis ullis, siue parentibus, siue amicis accipiamus, æquum est nos uicissim hanc illi gratiam reddere, & nostro labore artes retinere ac defendere.

Quare